Misc. 650 n. 61

DE
SANCTI SPIRITUS
ADVENTU.
ORATIO

HABITA IN SACELLO PONTIFICIO

Ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum

CLEMENTEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

A FERDINANDO WILDENSTEIN

S.R.I.Comite, Canonico Paſſavienſi

Seminarii Romani Convictore

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANNO MDCCXXXII.



ROMÆ, MDCCXXXII. Typis Antonii de Rubeis in via Sem. Rom.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

282

Digitized by Google

CLEMENTI XII.
PONTFICI MAXIMO.

FERDINANDUS WILDENSTEIN
FELICITATEM.

CUM *ſolemni hac luce de Cœleſtibus iis donis, quibus Paracleti Spiritus ſingulari beneficentiâ illuſtratus eſt, merito lætetur Chriſtianus Orbis, invideremus profectò Virtutibus tuis,* BEATISSIME PATER, *ſi tibi potiſſimùm, quem præ oculis tanquam Eccleſiæ Caput habemus, non gratularemur; ſubit enim animo dulcis illa recordatio feliciſſimæ illius diei, in quâ Sionis miracula renovari mirati ſumus, cum Divinus* Spi-

253

Spiritus communibus votis arridens Eccleſiam ſuam tibi regendam, gubernandamque commiſit: Quod quidem, quàm ſingulare in Chriſtianam Rempublicam ſupremi munerum Largitoris beneficium fuerit, novimus planè omnes, atque experimur: Eo enim ſpectant omnia facta ac conſilia tua, ut publicæ tranquillitatis incremento, Catholicæ Fidei ſecuritati, atque Eccleſiæ univerſæ incolumitati conſulas, Poſteriſque oſtendas, nihil te tanti Principatus Dignitate voluiſſe, niſi ut Vicariâ illa, quam geris poteſtate Dei imaginem, morum verò ſanctitate ſimilitudinem exhibeas. Cum itaque tam expreſsè in Te uno ampliſſimum ſe nobis donorum largitorem Divinus Spiritus probaverit, augetur tamen in Dies ejuſdem in nos beneficentia, cum Te nobis incolumem ſervat, ut Virtutibus tuis frui diutius poſſimus. Patere igitur, Beatissime Pater, *ut Oratio hæc mea de Divini Spiritus adventu tibi ſacretur, qui Paracleti Spiritus Pontificio pectori inſidentis flammas propiùs experiris, & Lucis Divinæ radiis è ſinu erumpentibus, ignis illius, qui totam Sionis domum replevit, beneficentiam imitaris.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

DIVINO ſanè conſilio factum dixerim, BEATISSIME PATER, ut qua die in Sinai Monte totâ inſpectante Judæorum turbâ, Deus Majeſtatis intonuit, & tonitrua inter, ac fulgura Timoris Legem promulgavit, eâdem Amoris Legem Reparatoris Sanctiſſimi ſanguine in Crucis ligno exaratam Divinus Amor flammarum ſtylo humanis cordibus inſcriberet, atque igneis linguis veluti vocibus edoceret.

Si enim cum in primo rerum exordio Divinus Opifex hominem è limo efformaverat, inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, quo vitam communicaret; flammis nunc opus erat, ut beatiorem eidem vitam impertiretur, & ad Amoris Di-

vini

vini leges incertos animos, ac metu perculſos Cœleſtium flammarum facundiâ inſtitueret. Et ſanè quàm brevi Divina illa Spiritus Sancti Virtus, quæ neſcit tarda molimina Apoſtolorum cordibus immiſſa ſeſe exeruit, quàm feliciter Cœleſtibus hiſce flammis, repentino veluti incendio totus Orbis incaluit? Si enim Vita operibus, tolerantiâ Amor probatur, quis non mortali, ut ità dicam; conditione depoſitâ, ſolius Amoris Spiritu, ac vitâ animatam dixerit feliciſſimam illam cohortem, cui cor novum, & Spiritum novum, per Ezechielem olim promiſſum Divinus Amor infudit. Ubi enim factus eſt de Cœlo ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, nullà interpoſità morâ, qui pœnarum, ac mortis metu anteà latebant, ſecuri nunc in medium prodeunt, & gaudio geſtientes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati, non viarum aſperitate, non Tyrannorum rabie, non periculorum metu conterriti; diſſitas etiam Regiones, atque inhoſpita loca ignis in morem percurrunt, & quas ex ipſo Divinitatis Sole hauſerant flammas, in terras omnes effundunt.

Hoc profectò fuit, cui objectus ille Ezechieli oſſium campus proluſit; ſi enim tunc Divinæ vocis virtute excitata oſſa arida, vitam ab ejus imperio, ac Spiritum hauſiſſe accepimus; longè tamen præſtantius, nobiliuſque prodigium orbis totus aſpexit, cum Divinus ille, qui Apoſtolorum pectora intus agebat Spiritus, terras omnes pervaſit, atque animavit. Quod ſi magis animis error nocet, quam mors corporibus, quantam ex ignéis

igneis iis linguis hauſiſſe ſapientiæ lucem Apoſtolos putandum eſt, ut Divini amoris leges cœcis mentibus, atque errorum caligine turbatis inſererent, & eos, qui in umbra mortis ſedebant Divinæ vitæ mortali hac longè nobilioris participes facerent. O' verè beatum Amoris incendium! O' feliciſſimam eam diem, qua Dei digito ſcripta Amoris Lex ad nos pervenit.

Sæpiùs quidèm Divinus Spiritus moræ veluti impatiens ſe ſe terris oſtenderat, & variâ donorum largitione, quam poſtmodùm erat laturus, Amoris legem adumbraſſe viſus eſt; nunc enim Columbæ in ſpeciem, dum Chriſtus Baptizaretur apparens, ad gemitus nos erudiebat, nunc ſub Nubis imagine in Monte Thabor videndum ſeſe exhibens, ut latentem Juſtitiæ Solem agnoſceremus, monebat; cum tandem dona veluti omnia in nos profuſurus, Amoris legem propoſuit, ubi in Sionis habitaculo flammarum incendio depluente, terræ faciem renovavit, & quæ veteris hominis ſupererant adhùc veſtigia, Divino igne conſumpſit; neque verò feliciſſimæ illius diei finibus, adeò profuſa Divini Amoris liberalitas arctata eſt; ſed cum omne datum optimum, & omne donum perfectum deſursùm ſit, deſcendens à Patre luminum, nunc quoque Cœleſtis ille ignis noſtra viſcera permeat, nunc quoque Eccleſiæ in ſinu vivit, ac perſeverat; æterna ſiquidem lex illa amoris eſſe debuit, quæ non in lapidibus ſenſu, ac vita carentibus, ſed in humanis cordibus ab eo, qui adventu ſuo nova omnia facturum ſeſe promiſerat, ſcripta eſt, ac ſignata.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google